

per naturam. De quo videndus est S. Thomas 1-2, quæstione cix, artic. vi et vii. Quare si potest homo Deo satisfacere, debet esse per opera supernaturalia excedentia naturam totam; hæc autem non sunt propria hominis, sed ex gratia Dei ipsi donata, et sub dominio Dei contenta, magis quam sub hominis dominio, quia totum quod ex creatura est, magis est Dei, quam ipsius creaturæ, præsertim in his, quæ liberaliter dantur; nec enim potest Deus abdicare a se dominium ejus, quod donat. Igitur non potest homo purus servare omnes conditiones justitiæ in satisfactione offensæ divinæ. Hoc certum est.

XV. Solum ergo restat dubium, an per opera supernaturalia possit homo satisfacere, exhibendo valorem, et pretium condignum, quantum est ex parte materiæ, seu rei oblatae, pro offensa facta Deo; an vero requiratur aliud altius supernaturali actu, ut possit condignitatem hanc habere; et ad rationem Aureoli patet clare, quod et si id quod offerret homo purus Deo, esset æqualis valoris cum peccato, tamen quia offerebat illud, ut acceptum a Deo, et sub dominio Dei existens, non offerebat secundum conditiones justitiæ, quidquid sit an alio titulo aliarum virtutum sint debita; sufficit enim, quod sub dominio Dei continerentur, ut ex rigore justitiæ non fiant. Unde si in satisfactione Christi non inveniremus aliquo modo actiones satisfactorias esse extra dominium Dei in ratione redditionis honoris, revera difficile inveniremus satisfactionem ex rigore justitiæ. Resultant ergo tres difficultates. Prima, an possit per opera supernaturalia a gratia procedentia exhibere opera condigna pro offensa propria, vel aliena mortali: secunda, quomodo contritio satisfaciatur pro peccato in ordine ad remissionem

culpæ de facto, et quod genus satisfactionis sit: tertia, an saltem pro veniali possit homo justus condigne satisfacere. Hæc sunt principales difficultates, ex quibus aliæ minoris ponderis solvi possunt.

ARTICULUS II.

Utrum homo purus per gratiam possit exhibere condignam satisfactionem pro peccato mortali?

I. Duo in peccato attendenda sunt in præsentia, quæ recompensatione indigere videmus, unum ex parte damni; alterum ex parte injuriæ. Ratio damni nihil infert Deo intrinsece, quia nihil illi aufertur ex bonis suis, unde damnificari, aut spoliari non potest. Causat tamen peccatum in nobis damnum, quatenus inducit maculam privantem rectitudine morali, et privantem etiam nitore gratiæ; unde plura alia damna in potentiis animæ sequuntur, quæ enumerat S. Thomas 1-2, qu. lxxxv. Ratio autem injuriæ, non tenet se ex parte nostri, quia per peccatum injuriam non sustinemus, cum potius voluntarii simus: Peccatum enim in tantum est peccatum, in quantum est voluntarium. Sed injuria infertur Deo, non quidem injuria damnificativa, sed per modum contemptus in transgressione voluntatis Dei, et læsiva juris divini, in quantum non habemus ipsum pro fine ultimo, ad quod habet jus strictum, et proprium; nam habet strictum, et verum dominium; ergo strictum, et verum jus ad ista bona extrinseca hominis, et consequenter redditur offensa ejus majestas. Hæc vero injuria consistit in aliqua moralitate, et denominatione, qua persona ipsa læsa dicitur, non effective, et entitative, sed moraliter, et secundum æstimationem rectam.

In quo differt Deus a legislatore, et principe creato, cujus mandata, et leges, si quis transgreditur, etiam si principem offendat, non tamen ejus honorem proprie lædit, quia solum dicitur inobediens principi, non tamen dehonoreans ipsum, et aliud est peccatum inobedientiæ, aliud læsivum honoris. In peccato mortali, non solum est transgressio præcepti, sed et læsio divini honoris, et injustitia stricta.

II. At vero, qui peccat in Deum, non tantum offendit ipsum in ratione inobedientiæ, sed etiam in ratione læsionis honoris, quia Deus est finis ultimus omnium actionum moralium, quod non habet princeps creatus, et ad hoc habet supremum jus, et supremum dominium. Unde qui in actionibus moralibus ipsum non habet pro fine, lædit jus ipsius. Sicut enim habet jus, ut colatur tamquam primum principium (et idololatria est speciali modo dehonoreativa Dei) sic habet jus ut finis ultimus omnis actionis moralis, quod quidem læditur per peccatum mortale. Unde de omni peccato verificatur, quod dicit Scriptura, peccatum postponere Deum creaturæ, et ideo nomine servitutis, derelictionis, et conculcationis Dei significatur, Isais XLIII: *Servire me fecisti in peccatis tuis; præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*: Jerem. II: *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt, fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas*: et ad Hebræos X: *Quanto putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit*. Sicut ergo, qui faceret principem servire, aut ipsum dereliqueret, aut conculcaveret, non solum inobediens, sed etiam dehonoreativus esset; sic per istas metaphoras significatur peccatum, non solum generali quadam ratione inobedientiæ ad mandata Dei, sed etiam

modo dehonoreativo Deum offendere.

III. Oppositum hujus tamquam sententiæ suæ fundamentum supponit pater Vazquez in præsentia disputatione II, cap. III, num. XXII, remittitque se ad primam secundæ, disput. CCXXXIII, cap. III, unde quia disputare non possumus, nisi in principiis aliquibus conveniamus, oportet contra ipsum tamquam certum supponere, quod in peccato non solum est transgressio præcepti divini, sed et læsio divini honoris, et consequenter aliquid spectans ad materiam injustitiæ, quia læsio honoris semper est injustitia. Et præcipuum fundamentum Vazquez est, quia alias in quolibet peccato esset duplex malitia, et ratio peccati, altera injustitiæ erga Deum: altera contra aliam virtutem, verbi gratia, actus intemperantiæ esset contra temperantiam ex objecto suo, et contra justitiam, et injuriosus est Deo.

IV. Et præterea quia nos non tenemur ex justitia satisfacere Deo, sed tenemur per charitatem ei reconciliari, et mediante reconciliatione ei satisfacere; ergo signum est nos non committere per peccatum aliquam injustitiam specialem contra Deum, si quidem ex injustitia non tenemur ei. Idem etiam ostendit exemplo principis, cui non infertur injuria proprie, et per se loquendo, ex eo quod ejus mandatum quis transgrediatur, unde in hoc non committit injuriam contra principem ex justitia resarciendam, quia nec in honore ipsum lædit, neque in bonis damnificat, nisi fortasse verbis contumeliosis in ipsum principem insurgeret, aut si in ejus conspectu diceret se nihili facere ejus præceptum, hoc enim genus injuriæ teneretur resarcire.

V. Cæterum, ut hujus auctoris æquivocationem (in qua maxime

laborat) ostendamus, advertendum est, aliud esse, an offensa, et injuria illata Deo possit habere rationem injuriæ proprie, et stricte dictæ ex parte juris læsi; aliud quam obligationem nos habemus ad illam resarciendam ex parte nostri, et attentam conditione subjecti. Nos enim non habemus obligationem reddendi aliquid Deo debitum ex justitia stricte dicta, sed hoc non ex defectu ipsius debiti, et defectu injuriæ propriæ dictæ illatæ Deo, aut juris stricti, et proprii, in ipso læsi, sed ex defectu subjecti, et magnitudine injuriæ, quia scilicet subjectum, non potest adæquare excellentiam ejus, cui debet. Unde S. Thomas 2-2, quæst. LXXX, articulo unico, et quæst. LVII, articulo primo ad tertium. Debitum erga Deum non negat esse rigorosum, et strictum, sed potius, quia nimis excedit, non posse a nobis ei reddi æquale, propter inferioritatem nostram. Non autem diminuitur aliqua ratio injuriæ, ex eo quod committatur a persona non habente æqualitatem ex parte subjecti ad recompensandum debitum, sed potius augetur; ergo ex defectu hujus æqualitatis negare propriissimam rationem injuriæ, et injustitiæ ex parte juris læsi intolerabilis sententia est. Quis enim æquis auribus audiat offensam, et injurias unius hominis erga alium, veram injuriæ rationem sortiri, ad cujus recompensationem stricte tenetur ex justitia: offensam autem hominis erga Deum non esse injustitiam, neque injuriam stricte dictam, cum majus jus lædatur, et consequenter quantum est ex parte juris læsi strictius obligari hominem ad recompensandum, quamvis ex conditione subjecti, cui impossibile est æquale reddere ex justitia stricta, id non possit.

VI. Quare si velit Vazquez læsionem divini juris non esse injusti-

tiam, quia homo non potest secundum justitiæ æqualitatem illam recompensare, hoc nihil est. Nam etsi homo ex defectu, et impossibilitate restituere aliquid non possit, non continuo læsio juris alieni desinit esse materia injustitiæ, quantum est ex ea parte, et hoc est solum, quod nos intendimus in præsentem, scilicet dari aliquam læsionem divini juris per peccatum, quam non possit homo purus adæquare, et consequenter pro illa exigatur satisfactio Dei hominis, in quo nobis deinde cum Vazquez controversia erit. Si autem velit ipsam offensam, seu injuriam peccati non esse læsionem divini juris stricte, et propriè dicti, quæ quantum est de se, et ex parte sua fundare debebat debitum strictum in materia justitiæ, si ex alia parte esset æqualis redditor, in hoc nullo modo possumus ei non dissentire. Et hoc ipse videtur intendere locis allegatis, dum ex eo quod Deus non lædatur in nobis per peccatum, infert non esse inter illum, et nos propriam rationem justitiæ et injustitiæ.

VII. In hoc ergo contradicimus Vazquez, et fundamentum hoc omnino falsum reputamus, valdeque diminuere gravitatem peccati, cuius injuria, et offensa in Deum, ita in Scriptura exaggeratur, et per modum injuriæ et injustitiæ stricte dictæ significatur, et hoc sic ostendo, quia Deus non solum se habet, ut legislator ex quo correspondet ei in hominibus debitum obedientiæ, et quasi observatio justitiæ legalis, ut ejus mandata, et leges custodiantur (ut expresse dicit S. Thomas 2-2, quæst. XVIII, artic. v ad tertium. Qua ratione inquit: *Omne peccatum dicitur iniquitas* 1 Joan. III, quia exorbitat ab æquitate divinæ regulæ, sicut etiam exponit 2-2, quæst. CX, artic. IV ad tertium, et ad Romanos 1 lect. VIII) sed etiam

est finis ultimus omnium actionum moralium; unde habet strictum, et proprium jus, ut nullus ei finis præponatur, sed ipse in omni actione finis sit. In quo valde differt a principe creato.

VIII. Quod autem hoc jus, quod habet Deus, ut sit finis ultimus omnium actionum sit strictum, et propriissimum patet, quia habet verum et supremum dominium honoris, et dignitatis suæ servandæ erga homines, et creaturas intellectuales; non minus quam homines habent dominium honoris, et famæ suæ, quia licet fama, et honor sit subjective in honorante, fundamentum tamen, et excellentia est in honorato, ratione cujus ipse habet possessionem, et dominium famæ, et jus ne lædatur ab aliquo, ita quod tale jus, et tale dominium sufficit ad constituendam rationem injuriæ stricte, et propriè dictæ si lædatur. Ergo similiter habet Deus strictum jus ad similia bona honoris, ita quod læsio ejus sit læsio stricti juris, et strictam rationem injuriæ constituens. Honor autem supremus Dei est, quod sit finis ultimus in omni actione morali; ergo amotio, vel læsio hujus honoris, est læsio juris stricte dicti.

IX. Et quia Vazquez gloriatur nullum testimonium doctoris sancti contra ipsum afferri posse in dicta disputatione CCXXIII, capite II, advertit expresse D. Thomas hunc eundem discursum in quæstione XXVIII, de veritate, art. II. Cujus verba sunt: « Quicumque rem aliquam digniorem indigniori postponat, injuriam ei facit: et tanto amplius, quanto res est dignior. Quicumque autem in re temporali finem sibi constituat, quod facit omnis moraliter peccans, ex hoc ipso quantum ad affectum suum præponit creaturam creatori, diligens plus creaturam, quam creatorem; finis

enim est, qui maxime diligitur. Cum ergo Deus in infinitum creaturam excedat, erit peccantis mortaliter contra Deum infinita offensa ex parte dignitate ejus, qui per peccatum quodammodo injuria fit, dum ipse Deus contemnitur, et ejus præceptum. »

X. Ubi sanctus doctor injuriam factam Deo per peccatum reducit ad contemptum, seu inhonorationem Dei, quatenus est finis ultimus, et quia non solum contemnitur præceptum, sed etiam Deus: ergo sanctus doctor sentit, quod injuria facta Deo, non solum fundatur in transgressionem præcepti, et in eo, quod postponit Deum, ut finem ultimum creaturæ, sed ex dignitate finis ultimi habet Deus jus propriissimum, et strictissimum, ut nulli creaturæ postponatur. Ergo peccatum secundum quod facit hanc postpositionem est læsivum juris stricte dicti, et quantum est ex hac parte peccatum injustitiam propriè dictam fundat non minus, quam si homini lædatur jus proprium in honore, unde in Scriptura significatur peccatum per modum injuriæ læsivæ divini honoris, quod significatur nomine servitutis, et derelictionis, et conculcationis Dei, quæ sunt nomina lædentia jus proprium et honorem Dei.

XI. Dices: Si Deus habet tam strictum, et proprium jus ad honorem suum; ergo sequitur, quod ad reddendum ei debitum honorem non sufficit religio, sed requiritur aliqua justitia propriè dicta: unde consequenter solus Christus possit reddere Deo debitum cultum. Sequela patet, quia Deus habet jus tale, ut colatur, quod adæquare non potest ab homine; ergo ut hoc debitum adæquetur, non sufficit religio, quæ est in homine puro, et consequenter requiritur, quod adæquaretur a Christo. Respondetur, ita verum esse, quod

religio non potest ad æqualitatem explere totum debitum, quod debemus Deo; et ideo est pars potentialis justitiæ, quia licet non deficiat a ratione debiti; deficit tamen a redditione æqualis, ut dicit S. Thomas 2-2, quæst. LXXX, articulo unico. Cæterum Christus Dominus non debuit venire ad implendum istam æqualitatem religionis, sed ad recompensandam æqualitatem injuriæ, quia debitum religionis est inferioris ad superiorem: unde non expletur, aut adæquatur per hoc, quod æqualis persona subjiciatur alteri, seu reddat hoc debitum, sed extrahitur ad aliud genus debiti. At vero injuria facta superiori ab inferiori non resarcitur per hoc, quod inferior superiori subjiciatur (hoc enim semper erat ei debitum) sed per hoc, quod persona æqualis ei honorem deferat, et subjectionem, assumendo in se vices hominis inferioris. Nec per hoc negamus Christum habuisse virtutem religionis, qua Deo cultum redderet per modum inferioris, sicut habuit obedientiam: sed dicimus quod non fuit necesse ad hoc subjicere Deo Personam divinam, sed quod Persona divina incarnata subjiceret Deo ea, quæ hominis erant, et dependebant a Deo, ut a primo principio creante.

XII. Ad fundamentum Vazquez respondetur. Ad primum, quod læsio juris divini, quæ intercedit in omni peccato, non constituit speciem injustitiæ particularis in quolibet peccato ex defectu conditionis subjecti peccantis, non ex defectu proprii juris, quod læditur in Deo; eadem enim ratio est ponendi ex parte Dei verum justum, et verum, ac proprium jus. Constat autem ex D. Thoma, justum in Deo non dici jus solum ex defectu nostro, quia non possumus ipsi æquivalens reddere, non quia ex parte Dei non sit suffi-

ciens fundamentum hujus proprii, et stricti juris, ut notari potest 2-2, quæst. LVII, articulo primo ad tertium, in illis verbis: « Quia justitia æqualitatem importat, Deo autem non possumus æquivalens reddere, vel recompensare, inde est, quod justum secundum perfectam rationem non possumus reddere Deo, et propter hoc non dicitur proprie jus lex divina, sed fas. » Notentur omnes causales D. Thomæ: Quia non possumus æquivalens recompensare inde est, quod justum, etc. et: Propter hoc non dicitur proprie jus lex divina; tota ergo ratio quare legis divinæ transgressio non est proprie contra jus est: Quia non possumus æquivalens recompensare Deo, et ideo ad defectum conditionis requisitæ ex parte subjecti redcit S. Thomas, quod deficiat jus proprie dictum inter Deum, et homines.

XIII. Ex qua doctrina patet manifeste ad fundamentum Vazquez, quod in quolibet peccato est transgressio legis, et mandati divini, non tamen est species injustitiæ proprie dictæ, eo modo, quo neque est jus proprie dictum, scilicet non ex defectu ejus, quod requiritur ad jus ex parte Dei, sed ex eo, quod requiritur ex parte nostra, scilicet ex defectu æqualitatis, quia cum justitia sit inter duos, defectus ex parte unius sufficit ad tollendam rationem injustitiæ proprie dictæ, et consequenter non habet quodlibet peccatum speciem justitiæ, non tamen tollitur quod lædatur supremum jus ex parte Dei, quod est strictissimum, et propriissimum quantum est ex parte Dei, deficit tamen ex parte nostra.

XIV. Ad secundum dicitur, quod probat id, quod diximus obligationem justitiæ proprie dictæ non dari in nobis ex defectu impossibilitatis subjecti, non ex defectu juris, ut tenet se ex parte Dei, quod nullo modo

minuit, sed auget rationem injuriæ proprie dictæ. Ad tertium respondetur, exemplum allatum de principe creato non tenere, quia princeps est pure legislator, non autem finis ultimus actionum humanarum, et ideo transgressio mandati ejus est pure contra obedientiam, aut justitiam legalem, non contra honorem debitum.

XV. Hoc jacto fundamento, non erit difficile intelligere sententiam, et resolutionem hujus difficultatis; in duobus enim principiis hucusque explicatis pendet varietas sententiarum, et difficultas, quæ in hac parte contingit. Nam aliqui confundunt æqualitatem satisfactionis ex parte pretii, seu valoris cum æqualitate ex parte conditionum requisitarum ad rigorem justitiæ: alii confundunt valorem gratiæ ad resarciendum damnum, quod intulit in honore peccatum, cum valore ad recompensandam injuriam. Et in ipsa gratia oportet distinguere valorem gratiæ actualis, a valore gratiæ habitualis, quatenus honorem reddit emundatum in se, et purum per effectum formalem physicum, et id quod habet, quatenus reddit acceptum, et reconciliatum Deo, qui est effectus quasi moralis, et remissioni divinæ correspondens.

XVI. In hac ergo parte invenio tres sententias. Prima est, quod per opera gratiæ, et charitatis potest homo reddere Deo æquivalens, et adæquatum pretium satisfactionis, quantum est ex parte ipsius charitatis solum, quia ex propriis viribus non habetur, sed ex misericordia Dei redditur illa satisfactio, non perfecta, sed ex acceptione creditoris. Pro hac sententia citatur communiter Cajetanus super hunc articulum secundum; de cujus tamen mente postea dicemus. Illam tamen significat Scotus in IV, distinct. XV, quæstione I, circa secundum quæ-

situm. Et pro eadem opinione stat Sotus in quarto, non ut communiter citatur distinctione XV, et distinctione XIX, quæstione prima, artic. II, §. Duplex ergo; Nazarius III parte quæst. I, art. II, controversia IV tribuit etiam Paludano et aliis quos non vidi.

PROPONUNTUR ARGUMENTA PRIMÆ SENTENTIÆ.

XVII. Hæc sententia habet duplex præcipuum fundamentum, unde præcipua argumenta ortum habent ex illisque difficultatem sortiuntur. Alterum tenet se ex parte peccati; alterum ex parte ipsius gratiæ, seu actuum ab illa procedentium. Ex parte peccati probatur peccatum non habere infinitatem simpliciter, sed ad summum secundum quid, et consequenter esse adæquabile ab actu non infinito simpliciter, sed secundum quid. Quod ergo peccatum non sit infinitum simpliciter probatur, quia peccata etiam in ratione offensæ non sunt paria, sed inæqualia: ergo nullum eorum est infinitum simpliciter. Consequentia patet, quia infinitum simpliciter est, cui non potest fieri additio simpliciter; et infinitum in aliquo genere est, cui non potest fieri additio in illo genere, alias si fieret in eo, in quo fieret additio, non erat infinitum, si quidem aliquid ei deerat. Ubi autem est inæqualitas, unum est majus alio; ergo unum habet additionem, et excessum ad alterum, et consequenter illud minus, et inferius non est infinitum in genere peccati. Antecedens autem certum est de fide, tum ex illo Joann. IX: *Qui me tradidit tibi majus peccatum habet*; tum ex eo quod pænæ peccatorum sunt inæquales Apocalyp. XVIII: *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormen-*

torum, et luctus : Matth. x et xi : *Dico vobis, quod terræ Sodomorum remissius erit in die iudicii, quam tibi*; tum ex his, quæ docet D. Thomas 1-2, quæst. LXXIII, art. II, ostendens non omnia peccata esse paria.

XVIII. Nec dici potest omnia esse paria in ratione offensæ, licet non in ratione malitiæ, et moralitatis; tum, quia, pœna correspondet peccato, ut offensivum est divinæ majestatis, quia ut offensivum est, debet esse punibile; unde Isaia tertio dicitur: *Lingua eorum, et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus. Væ animæ eorum quoniam reddita sunt eis mala!* et infra: *Væ impio in malum, retributio enim manuum ejus fiet ei!* ergo provocationi divinæ majestatis, quæ est ratio offensæ correspondet redditio mali, seu pœnæ; pœna autem inæqualis est; ergo offensa in ratione offensæ; tum etiam, quia ex malitia, ut est contraria regulæ rationis, sequitur ratio offensæ, quia enim lex, quæ est regula actionum humanarum contemnitur, et finis ultimus derelinquitur, offenditur Deus et in quantum legislator, et in quantum dignitatem habet finis ultimi: ergo si malitia moralitatis est inæqualis, quæ consistit in contrarietate ad istam regulam, etiam et offensa inæqualis est in ratione offensæ.

XIX. Secundo arguitur ex parte peccati, nam tota ratio offensæ, si qua est in peccato, pertinet ad aversionem a Deo, seu consistit in hoc, quod Deo displiceat peccatum; sed hæc est infinita secundum quid solum, et finita simpliciter; ergo est recompensabilis per actum simpliciter finitum in genere morali, et solum secundum quid infinitum. Minor patet, nam aversio a Deo sequitur ipsam conversionem ad bo-

num temporale; tum, quia tantum quis avertitur a Deo quantum convertitur ad creaturam; convertitur autem ad creaturam finito modo; ergo finito modo avertitur a Deo; tum, quia aversio, cum sit privatio quædam, in tantum censenda est finita, vel infinita, in quantum privat aliquo finito, vel infinito: non est autem aversio privatio formæ infinitæ, quia forma, qua privat, non est Deus, sed rectitudo moralis, vel gratia: Deo autem non privat, nisi ut fine, vel objecto, non tamquam forma, non enim informat Deus animam in qua ponitur illa privatio, sed est finis quo tendit anima: ergo est privatio formæ finitæ; ergo ipsa aversio est finita. Similiter displicentia, quam habet Deus de peccato, non est displicentia infinita; tum, quia potest crescere ista displicentia; magis enim de uno peccato ei displicet, quam de alio; tum, quia bonitas moralis, quam tollit peccatum, non placet Deo infinite; ergo nec malitia moralis ei opposita infinite displicet.

XX. Tertio arguitur: Peccatum nullo modo est læsivum divini honoris in se, sed solum habet rationem contemptus Dei, prout in suo præcepto, per cujus transgressionem contemnitur; ergo non induit rationem infinitæ offensæ erga Deum. Consequentia patet, quia non potest habere rationem infinitæ injuriæ, nisi quatenus lædit infinitum jus, et honorem infinitum: ex hoc autem solum, quod transgreditur præceptum, non lædit jus, neque honorem, sed solum inobediens est, non dehonoriativus; ergo non facit infinitam offensam. Antecedens autem constat; tum, quia nihil detrimenti accipit Deus ex peccato, etiam in honore proprio, ut est in Deo; ut autem inest homine honorante Deum, est aliquid parvi momenti, et quid finitum, quia ho-

mo finito modo honorat Deum; ergo honor prout in honorante quid finitum est; tum, quia si læderetur Deus in honore deberet peccatum recompensari per cultum, et honorem Deo exhibitum, non autem per contritionem, et pœnitentiam; sicut quando homo læditur in honore per honorationem contrariam ei satisficit. Et confirmatur, quia peccatum non offendit Deum modo infinito, sicut offenderet Deus infinitus, si per impossibile daretur; ergo.

XXI. Quarto arguitur ex secundo capite, nempe ex parte gratiæ, in cujus valore debet fieri satisfactio: Nam gratia potest dare actui satisfactorio valorem adæquantem gravitatem injuriæ; ergo, etc. Antecedens probatur, nam gravitas injuriæ solum habet infinitatem secundum quid, ex parte personæ offensæ, alias non posset illa gravitas crescere aut minui in ratione injuriæ, ut dicebamus: sed etiam gratia, et charitas habent infinitatem secundum quid, quatenus tangunt Deum ut objectum proprium in se ipso, qui est infinitus, licet modo finito; ergo adæquat valor procedens ex gratia gravitatem offensæ peccati. Confirmatur, quia peccatum habet infinitatem ex quadam denominatione extrinseca ipsius personæ offensæ, non autem ex aliquo intrinseco influxu illi impresso; at vero actus procedens a gratia, ex ipsa gratia participat influxum tendendi ad Deum, ut ad finem dignificantem ipsam satisfactionem in ordine supernaturali, et divino; ergo habet potiori jure infinitatem secundum quid compensativam gravitatis peccati.

XXII. Quinto, non minus placet Deo actus procedens ex gratia, quam displicuit actus peccati destruens ipsam gratiam; ergo ad æqualitatem compensat gratia peccati malitiam, et offensam. Consequentia pa-

tet, quia in tantum peccatum offendit Deum in quantum reddit hominem invisum, et displicentem Deo; ergo si compensat hanc displicentiam ad æqualitatem, compensat malitiam, et offensam peccati. Antecedens vero probatur, quia gratia semel posita in subjecto, et actus ab illa procedens reddunt hominem intrinsece renovatum, justum, et sanctum; alioquin si formaliter, et intrinsece non redderetur homo gratus, et justus, indigeret aliquo extrinseco favore, quo justus fieret, et sic justificatio nostra consisteret in aliquo extrinseco, et non in aliqua justitia intra nos recepta, contra Concilium Tridentinum, sess. VI. cap. VII, et canone XI. Sed facta interiori renovatione per gratiam, ille homo non potest amplius esse invisus, et displicens Deo; ergo tota displicentia ex peccato contracta tollitur ad æqualitatem per gratiam, et ita intrinsece, quod nullo favore extrinseco indiget, ut tollatur.

XXIII. Sexto, solet fieri argumentum: Quia potest homo purus recipere a Deo tantam plenitudinem gratiæ, quod possit illam derivare ad alios ministerialiter, et esse caput gratiæ, sicut Christus fuit unde: sanctus doctor concedit infra quæst. LXIV, artic. IV, quod Christus potuit communicare alicui homini potestatem excellentiæ ad instituenda sacramenta, et ad influendam gratiam in alios: ergo tunc talis homo posset mereri aliis de condigno gratiam, et gloriam, et auxilia divina, quibus a peccato resurgerent; ergo et satisfacere pro eis ad æqualitatem. Patet ultima consequentia, quia impossibile est mereri gratiam de condigno, quin mereatur de condigno abolitionem peccati; ergo offert condignum valorem pro offensa, et peccato abolendo; ergo et æqualem satisfactionem, quantum est ex parte pretii, et valoris.